

larem humanitatem, ad quam sæpissime Portus secunda divini favoris aura feliciter appulit, me quoque cum aliis quibusdam nobilibus et clarissimis viris, fortissimis tuarum virtutum cultoribus, in Parnassiis tui amœnissimi pagi hortis, convivio splendido simul et philosophico, sepositis paulisper gravioribus curis, excepisses honorificentissime, post varios sermones honestis, seriis et iucundis de rebus habitos, per iocum serena fronte, lætis oculis, non imperasti (quod iure tuo facere poteras) sed verbis amicis rogasti Græci filium ut de græco potandi more suam sententiam aperiret, et, si quid apud græcos vel latinos scriptores olim de non contemnenda quæstione scriptis mandatum observasset quod observatione dignum videretur, id in medium utilitatis publicæ causa libere proferret. Sic enim multis qui de germanico potandi more sinistras et odiosas voces perpetuo fundunt, tandem aliquando perpetuum silentium impositum iri credebas, si Germanos a Græcis et non paucis aliis nationibus quæ sobrietatis et temperantiæ laudem sibi magnifice vindicant, hoc antiquissimo celeberrimoque potandi studio manifeste superari constaret.

Quod si quis opinionem semel susceptam pertinacius tueri conaretur, futurum saltem ut propter hanc inveteratam et communem vivendi consuetudinem, vitii, quod nonnullis Germanis obiicitur, quasi soli præter cæteros mortales hac in parte peccarent, invidia minuatur et humanæ fragilitati condonetur, quod alioqui nullam excusationem meretur. Nam nulla temporum antiquitas, nulla vitiorum cum aliis communitas, illaudatam peccatorum naturam, laudabilem iustaque venia dignam reddere potest. His auditis, ego, qui tuæ Nobilitatis et Amplitudinis auctoritatem plurimi facio, me tuis lepidissimis et honestissimis postulatis alacriter pro virili satisfacturum promisi. Nunc vero meam fidem libero. Libellum enim de proposita quæstione conscripsi, quem acerrimo tuæ sapientiæ iudicio censuræque subiicio, rogans et orans ut eum sub inelyto tuæ Nobilitatis et Amplitudinis nomine, cui me fateor obstructissimum, in liberam lucem prodire patiaris, fidelique tuæ benevo-

